7

PATHEMATA GRAVIORA A FLATVVM CAVSSA OCCVLTA ORIVNDA

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

ARGGRAVIO BRANDENBVRGI BORVSSIAE

SILESIAEQVE DVCE RELIQVA BVRGGRAVIO

NORIMBERGAE RELIQVA

RCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO

ET TRIVM LEGIONVM AC COHORTIVM PRAEFECTO

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

.HENRICO FRIDERICO DELIO

RENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSILIAR. AVL.

DICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

CADEM. IMPERIAL. NAT. CVR. NEC NON REG. SOCIET. SCIENT.

MONSPELIENS. ET ACAD. SC. ET ART. RHOTOMAG. SODAL.

FACVLTAT. MEDIC. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

RIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

MICHAEL DANIEL MOHR

STIERHOECHSTADIO FRANCVS.

D. AVGVST. MDCCLVIIII.

ERLANGAE

TYPIS IO. DITER. MICH. CAMERARII ACAD. TYPOGR.

HIPPOCRAT.

Lib. de flatib.

Sunt quaedam artes, quae illis, quibus earum cognitio contingit, multum laboris exhibent: illis vero, qui earum vſu indigent, vtiles, imo plebeis hominibus commune bonum ſunt. Ex harum artium numero eſt et ea, quae Medicina appellatur. Medicus enim oculis perluſtrat ſingula pericula, contrectat etiam nulla voluptate, et ex alieno malo proprias ſibi demetit moleſtias. Aegrotantes autem artis beneficio a maximis malis liberantur. Huius autem artis, quae vilia vulgo putantur, cognoſcere difficile eſt.

ILLVSTRISSIMO

ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

IOANNI WILHELMO FRIDERICO

S. ROMANI IMPERII LIBERO BARONI

DE SECKENDORF

DYNASTAE IN MARCKT SVGENHEIM,

EZELHEIM, HIEREFELD, RIEDERN, RELIQVA.

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS CONSILIARIO ACTVALI, SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENBVRGICO CVLMBACENSIS CONSILIARIO INTIMO, EIVSQVE ORDINIS AB AQVILA RVBRA NVNCVPATI EQVITI, S. ROMANI IMPERII LIBERI IMMEDIATI ORDINIS EQVESTRIS IN FRANCONIA PAGI STEIGERWALDENSIS PRAEFECTO.

SVMMO, REL.

VT ET

ILLVSTRISSIMO

AC EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CHRISTOPHORO WOLFGANGO

PHILIPPO

S. ROMANI IMPERII LIBERO BARONI

DE SECKENDORF

DYNASTAE IN MARCKT SVGENHEIM,

DEVTENHEIM DVZENTHAL RELIQVA

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS CON-

SILIARIO ACTVALI NEC NON SACRI ROMANI

IMPERII LIBERI ORDINIS EQVESTRIS IN FRANCONIA PAGI

STEIGERWALDENSIS CONSILIARIO REL.

DOMINIS MEIS LONGE GRATIOSISSIMIS

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

SACRVM ESSE IVBET

Cultor deuotiſſimus

MICHAEL DANIEL MOHR.

ILLVSTRISSIMI DOMINI
DOMINI GRATIOSISSIMI

CIrcumſpiciendum mihi latius haud fuit, quibus nominibus iſthoc opuſculum academicum inſcriberem. Plane ſingularis eſt gratia Veſtra, ILLVSTRISSIMI DOMINI, in quam omnes meae cogitationes directae merito eſſe debent, quaeque omne illud, ſi quid eſt in me ingenii, potiſſimum expoſcit. Praeter multa alia gratiae Veſtrae documenta, fixam etiam mihi ſedem benigniſſime conceſſiſtis, ex qua, quicquid in me quantulocunque ſcientiae medicae ſitum eſt, in publicos vſus vertere queam. Felicem me depraedicarem,

quodſi

quodſi ea, quae interea propius experiri licuit, eo, quo par eſt, laudum cumulo, euehere, datum mihi foret. Verum enim vero, cum antiquiſſimi ſtemmatis gloriam, virtutum illuſtrium veram nobilitatem, illuſtriſſimorum nominum celebritatem, meritorum copiam, gratioſiſſimorum animorum documenta, nemo ſit, qui neſciat; ego certe dictorum debilem admodum me fore interpretem, facile praeuideo. Ergo, dum ſaltem opellam hanc benigniſſimis manibus humillime trado, atque frontem ſerenam, veniamque coepti conſilii, ſubmiſſe mihi expeto, nihil mihi ſupereſſe video, quam ardentiſſima, pro Veſtra, atque vniuerſae ſplendidiſſimae familiae, inconcuſſa incolumitate, vota. Ea autem quotidie fundam, Vosque Deo T. O. M. omnem felicitatem ſuffecturo, commendabo indeſinenter.

Dabam in Fridericiana Erlangenſi
d. XXVIII. Aug. MDCCLVIIII.

PATHEMATA
A FLATVVM CAVSSA OCCVLTA ORIVNDA.

§. I.

Felicem eſſe eum, qui rerum poſſit cognoſcere cauſſas, iam dudum in prouerbii vim abiit. Quodſi autem in re aliqua cauſſarum cognitio fructuoſa eſt, certe in morborum diiudicatione et curatione haec magnam negotii partem abſoluit. Illud equidem plane adfirmare non audemus, Medicum, qui bene cognoſcit, etiam cognitum morbum curare vel funditus tollere poſſe, ſiquidem obuenire medico varii morbi poſſunt, quos exacte diiudicat, riteque cognoſcit, modumque prouentuum morboſorum determinat, atque ex, ſuis cauſſis deriuat, quos tamen funditus tollere et exſtirpare nequit,

ſi mala per longas inualuere moras

ſi ſcilicet adeo deprauata viſcera, adeo immutata humorum maſſa, adeo ſolidarum partium actio laeſa, adeoque ipſae animi adfectiones turbatae, vel plures morales cauſſae, optimos fines impedientes, tantopere praeſto ſint, vt grauiora mala optimam methodum eludant; cuius aſſerti veritatem, tot phtiſeos, hydropis, inueterati mali hypochondriaci, indiuidualis ſenſibilitatis, pluriumque aliorum morborum acutorum et chronicorum ſubiecta commonſtrant. Interim de morbis curabilibus valebit omnino, quod qui bene cognoſcit, bene curet.

§. II.

In compluribus autem morbis ipſa morbi cauſſa non ſemper in aprico eſſe ſolet. Saepe aegrotorum narrationes nihil aliud ſunt, quam ſymptomatum morboſorum dolorumque deſcriptiones. His ſi ſtatim obuiam ire medicus velit, mirum quantum fallitur, falletque aegrotum! Ergo in ſymptomatum cauſſas ſedulo rationalis inquirere medicus debet, vt ſublata tum cauſſa ceſſet effectus. Verum variae *occultae* morborum cauſſae exſiſtere poſſunt, quae primo intuitu non ſtatim liquent. Tacemus varias procatarcticas et occaſionales cauſſas, quas aegroti non adcuſant, quos vero vitae genere vario, variisque prauis conſuetudinibus aegroti curatius perſpectis, a poſteriori demum ſaepe medicus experitur. Subſiſtamus tantum circa ipſas morboſas adfectiones, quae ex *conſenſu* partium oriuntur. Pars enim ea, quae pro aegrotantium, ſaepe et medicorum, captu, grauiter pati videtur, morboſae adfectionis cauſſam non ſemper in ſeipſo habet, ſed vario modo in conſenſum trahitur morboſum, ita vt primaria in alio loco lateat cauſſa.

§. III.

§. III.

Cum circulatio ſanguinis dudum iam inter veritates medicas relata merito ſit, ex huius circulationis vel exceſſu vel defectu, ipſiusque laticis ſanguinei vel quantitate peccante, vel qualitatis vitioſa conditione, modo tenui, modo ſpiſſa, modo variis ſalibus referta, etiam plurimos morbos deriuandos eſſe ſatagunt, ita vt toties de ſtagnationibus ſanguinis ſpiſſi vel viſcidi ſermones audias. Neque iam adductas inter potiores morborum cauſſas referre dubitamus. Sed obueniunt tamen etiam complura pathemata, vbi nec vera plethora, neque ſpiſſitudo ſanguinis, neque haemorrhagicae congeſtiones in aprico ſunt, licet inde deriuare medicus morbum, atque ſecundum aſſerta indicationes formare, locauerit operam. Recte ſaepiuscule capitis dolores vertiginem, cordis palpitationem, praecordiorum anguſtias, alia, a plethora, et ſimul ſpiſſa, et commota, in certis ſubiectis deriuare poſſumus. Sed in aliis aegrotis, dictis morbis adfectis, ſanguinis, eiusque circuli emendationes non adeo requiruntur, niſi cauſſam remotam tantum tollere velimus. In aliis ad peculiarem neruorum, aliarumque partium ſolidarum, animique, ſenſibilitatem recurrendum eſt. In aliis ſaepe occulta dictorum pathematum cauſſa latet, qua adfectae partes in conſenſum trahuntur. Expediamus ſaltem negotium, quo FLATVS occultas ſaepe grauiorum pathematum cauſſas, hinc ad eorundem ſublationem reſpiciendum, eſſe, patebit.

§. IV.

Iam dudum FLATVS in corpore humano vario modo conſiderarunt medici. De iisdem enim integrum iam librum HIPPOCRATES reliquit. a) Verum pro iſtius temporis conditione

 flatus

a) HIPPOCRATES περὶ φυσῶν. Edit. LIND. T. I. p. 399.

flatus vel ſpiritus, quos partim pro vitae auctore, partim pro cauſſis morborum habebat, ipſi *aër* erat, reſpiratione adductus, rurſusque exhalatus, adeoque in ſanguine, eiusque vaſis, in carnibus, in articulis, contentus, varioque modo expanſus, condenſatusue. Quo etiam fere ſenſu flatus Io. Fienvs ſumſiſſe videtur, in peculiari lepidoque libello. b) Licet autem ipſius aëris in ſanguine exſiſtentiam non negemus, c) tamen in praeſenti noſtrum non eſt, vt litem nouiter agitatam, de *aëre* in ſanguine *non elaſtico*, d) componamus. Neque etiam de flatibus in variis corporis partibus oberrantibus, repertis, ſeu eruptis, quorum paſſim nonnulli autores mentionem faciunt e) ſermonem iam inſtituemus, ſed verbum in vſitata magis ſignificatione accipiemus. Scilicet iſtos proprie *flatus, qui ventriculum atque canalem inteſtinorum occupant,* tanquam occultam ſaepe pathematum cauſſam, ad quam primo intuitu vix reſpiciendum eſſe videbatur, conſiderabimus.

§. V.

Atque pro concipiendis flatibus, vtpote materia aërea halituoſo elaſtica,[1] ventriculus tubusque inteſtinalis vario modo disponi poteſt. Siue enim eiusdem actionem in ingeſta et aſſumta, ſiue liquorem gaſtricum, ſuccum pancreaticum, bilem, ſuccosque inteſtinales, ob neceſſarias alimentorum digeſtiones et ſub-

b) Io. Fienvs de flatibus humanum corpus moleſtantibus commentarius nouus et ſingularis. *Antverp.* 1582. qui etiam germanico idiomate prodiit *Schneeberg.* et *Lipſ.* 1744.

c) Fraenkische Sammlvngen Vol. III. p. 415.

d) de Haller phyſiolog. §. 159. 306.

e) Geo. Francvs de Nakir Arabum. *Heidelb.* 1684. Flatus e pudendis A. N. C. Dec. II. an. 5. obſ. 91. e pene Bartholin. Act. Hafn. V. 2. obſ. 44. V. 3. obſ. 40. Act. Nat. Cur. Dec. I. an. 2. obſ. 46. Dec. 3. an. 9. obſ. 134. Breslavisch. Samml. XXXV. *Verſuch.* p. 118.

ſubactiones, in ventriculum inteſtinaque congeſtos, ipſorumque alimentorum conditiones varias ſpectes, haud difficulter flatuum origo eruitur. Vti enim in corporum interſtitiis aërem haerere copioſum obſeruamus, quemadmodum ipſum, antea corporibus incluſum, poſtea oculis cernere, et ſub bullularum forma exeuntem animaduertere poſſumus, quodſi aut antliae ope aër e corporibus educitur, aut varia corpora per debita menſtrua, chemiae ope, vt et fermentatione, ſoluuntur; f) ſic cum alimentis, pro earum varia conditione, quotidie magna aëris pars ventriculum et inteſtina intrat, qui, adueniente digeſtione et concoctione et ſolutione, in loco calido expanditur, cellulas quibus incluſus erat, disrumpit, euoluitur, et tum elaſticus magis redditur. Ita quoque cum aëre in humoribus in dicta loca congeſtis fere comparatum eſt, qui ſi diutius ſubſiſtant, in vapores quoque reſoluuntur. Cuius rei notabile exemplum nobis praeſtat *tranſpirationis ſuppreſſio.* Spasmo enim, praecipue ex refrigerio, orto cutaneo, vnde quoque hyeme magis produci et anguſtare flatus ſolent, tum materia alias perſpirabilis in cauum inteſtinorum, per reſorbentia ſic dicta vaſa, ff) deponi ſolet, vnde ex hisce inhalationibus ſaepiuscule inflationes abdominis, anguſtiae, diarrhoeae oriuntur. Immo variae reſtrictiones et congeſtiones ſanguinis abdominalis ex ea ratione flatulentiae cauſſae exſiſtunt, quoniam inde maiores expreſſiones tenuiorum humorum, poſtea caloris ope expanſorum, in cauum inteſtinorum, ſequuntur. Atque illud idem euenire ſolet, ventriculo et inteſtinis non adeo cibaria materia repletis, ſed vacuis, quo caſu exſiſtente, et humores ſecreti, et recrementa alimentorum, contentum aërem in amplius ſpatium conceſſum eructant.

§. VI.

f) V. B. HAMBERGER *Progr.* de aëre corporibus incluſo.

ff) Ill. DE HALLER phyſiol. §. 220.

§. VI.

Sed licet naturali huic, nec non praeternaturali, flatuum geneſi omnes homines ſubiecti ſint, tamen non omnes inde pares morbos, diſtenſiones, anguſtias, dolores patiuntur. Plurimum e contrario hic emolumenti adfert debitus ventriculi et inteſtinorum *tonus*, et ab hoc pendens periſtalticus motus, ſi quidem hoc rite conſtituto, vel per viam proximam, vel per guttur inferius, cum maiori vel minori exploſione, aër elaſticus eliminatur, vel vapores condenſati iterum inſenſibiliter fere excernuntur. Contra autem, ſi inteſtinorum fibrae relaxatae vel inerti muco nimis oneratae ſunt, facilius diſtenduntur, et collectioni flatuum facilius anſam praebent, veluti hoc in phlegmaticis et vitae ſedentariae deditis praecipue obſeruamus. Deinde autem reniſus ſpaſticus diſtenſioni inteſtinorum metam quidem ponere, flatusque propellere poteſt; ſed tamen ſpasmi quoque, vel in ipſis inteſtinis, vel in vicinis partibus et visceribus oborti, propulſioni flatuum etiam obicem ponere poſſunt, quibus fit, vt intra conſtrictas partes, interque ipſas valuulas ſic dictas conniuentes, haerentibus et incarceratis flatibus debitus exitus praecludatur, maiorque anguſtia oriatur.

§. VII.

Hinc mirandum non eſt, morboſas ipſius ventriculi et inteſtinorum adſectiones generari, videlicet *cardialgia*, *abdominis inflationes*, *praecordiorum anguſtiae*, *borborygmi*, *tormina*, *colicae paſſiones*, *alui obſtructiones*, *iliaca paſſio*, cet. Ex hisce adfectionibus dolet itaque ventriculus magis et inteſtinorum canalis. Sed dum diſtenduntur hae partes, adficiuntur quoque et *ſanguifera vaſa* inteſtina perreptantia, et *nerui* ſenſum et ſenſationem conciliantes. Hi praecipue, ſicuti neceſſariam partium communionem, ad

excr-

exercendas connexas et legitimas functiones in ſtatu naturali efficiunt, ita eorum ope generatim *conſenſus* partium corporis humani actuatur. g) Hinc moleſtae quoque ſenſationes in vicinis et remotis partibus, quibuscum vel mediate vel immediate cohaerent, oriri ſolent. Inde quoque ſymptomatici morbi ſaepiuscule ſunt deriuandi. Flatus ergo in ventriculo et inteſtinis haerentes et vicinas partes alterare poſſunt, et moleſtas ſenſationes ad loca transmittere, inter quae, et vaſorum et neruorum ope, cum inteſtinis intercedit communio. Atque ſaepenumero attento practico varii morbi occurrunt, qui grauiores in principio, et aliis cauſſis adſcribendi, videntur, quorum vero remiſſiones quoque, et ſpem praeter, obſeruantur, flatibus, qui occultam pathematum cauſſam alebant, vel vi vitae, vel artis ope, diſcuſſis et eliminatis. Operae pretium ergo erit, nonnulla horum pathematum, quorum occulta cauſſa ſaepe praeteruidetur, adducere, et ad rationes redigere.

§. VIII.

Cauſſa autem variorum pathematum, in aliis, praeter inteſtina, partibus, a *flatibus* oriundorum, cum ſita ſit partim in vicinia, vnde adflicta inteſtina breuiſſima via adiacentes partes, et *infimum ventrem*, alterare queunt, partim in vaſorum neruorumque commercio, quod cum aliis partibus intercedit, requiritur omnino, noſſe hasce determinationes. Primo autem ex ſimplici diſtenſione et inflatione ventriculi et inteſtinorum *diaphragma* ſurſum pelli, inque debito ſub inſpiratione deſcenſu remorari poteſt, vnde *praecordiorum thoracisque anguſtatio*, et ipſorum *abdominalium muſculorum* ſub exſpiratione maior ingratusque niſus, immo a tendinibus diaphragmatis, iuſto magis tractis, *dorſi*, *lumborum* atque

 oſſis

g) V. Ill. Praesid. *Diſſ.* de conſenſu pectoris cum infimo ventre. *Hal.* 1743

oſſis ſacri dolores. Deinde ventriculo praecipue, vt, et duodeno, coloque inflato, ex peculiari dictarum partium ſitu, et *hepar* et *lien* comprimi, ſanguinisque liber itus et reditus per haec viſcera retardari poteſt. Porro adfectus iſte, quem *cardiogmum* vocant, infantibus familiaris, ventriculo, interdum colo, flatibus diſtentis, origines debet. Ceſſare enim ſolet, blandis euacuantibus, clyſteribus, lenibus carminatiuis adhibitis. Quae quidem medicamenta appropriata magis ſunt, quam tortura iſta, quam vulgo adhibent, ita vt violentius pollice ſcrobiculum cordis lateraque fricent, rati, concretiones, neſcio quas, ortas eſſe, *das Kind ſey angewachſen.* Interim debitam frictionem, flatus promouentem, praecipue ſecundum directionem ſitumque ventriculi, imo coli inteſtini, non diſſvademus. Nec minus, praeter eam vim, quae ex adfectis et in conſenſum tractis neruis, procedit, ipſum *meſenterium* adficitur, ipſique *renes*, per *plexum renalem*, a canali inteſtinorum flatibus diſtentorum ita alterantur, vt vrinae ſecretio minus legitime ſuccedat, quippe quae in flatulentis, obſtricturas plerumque tenuis, limpida, minusque colorata, et excretio cum frequentiori ſtimulo coniuncta, eſſe conſueuit. gg)

§. IX.

Arterioſa vaſa ventriculus a *coeliaca*, inteſtina tenuia potiſſimum a *meſenterica ſuperiori*, craſſa a *meſenterica inferiori* accipiunt. *Venae* vel in ipſum *venae portae truncum* inſeruntur, vel primo in *haemorrhoidalem internam* vel in *meſentericam* radicem

venae

gg) Tacemus et ipſam *grauiditatem* a flatibus ſimulari poſſe, veluti illud ACCIELLAE iſtae accidit, quae, cum ipſi venter tumuiſſet ſepteni menſibus, iubebat acciri obſtetricem, ſperans puerum edituram partu, ſed *mox inter medias manus miniſtrae laxo poplite, cruribus leuatis, Lucinam ingeminans,* QVATER PEPEDIT. IO. ANT. CAMPANVS *Poemat.* L. IV. *carm.* V. Conf. ZACHIAS *quaeſt. med. legal.* Lib. I. Tom. III. quaeſt. I.

venae portae reducem ſanguinem colligunt, mox autem ad huius truncum omnem deferunt. Quodſi ergo flatibus inteſtina diſtenduntur, remorabitur certe aduueniens, redeunsque ſanguis. Huius autem in tam copioſis vaſis, quae hic plenius enumerare inſtituti vetat ratio, ſubſiſtentia, difficiliorue tranſitus, imo nouis obortis ſpaſmis, noua, priusquam diſſipetur, coarctatio, cordis viribus nouos obices ponit, contra quos nitatur. Perſpicitur inde ratio, cur flatus et circulationis negotium difficilius moleſtiusque reddere poſſint. h)

§. X.

Sed *neruorum* ventriculum et inteſtina perreptantium magnus numerus, magnaque vis eſt. Scilicet ab *octauo* neruorum pari, vago dicto, deinde ab *intercoſtali* ventriculi et inteſtinorum nerui proficiſcuntur. Vtrorumque diuerſimodae inter ſe, cumque aliis viſceribus partibusue connexiones, tot pathematum, non aliter ac per conſenſum explicandorum, cauſſae ſunt, quorum magna pars facilius quoque intelligitur, ſi *quinti* paris inoſculationes et coniunctiones cum intercoſtali varias conſideramus. Non noſtrum quidem in praeſenti eſt, vel integras dictorum neruorum diſtributionum deſcriptiones exhibere, cum eae alibi ex inſtituto traditae ſint, vel varias circa intercoſtalis nerui origines ac propagines ortas lites componere, bene contra memores ſumus, in diſtributione vaſorum neruorumque corporis humani tantas ſaepe, pro ſubiectorum diuerſitate, animaduerti

h) Subterraneus incluſusque aër, vti etiam ipſorum *terrae motuum* cauſſa quaedam eſſe poteſt, quidni violentos ſaepe effectus, a flatibus et in microcoſmo oriri poſſe, vt ex ſequentibus patebit, exſiſtimemus? quamuis *flatus* inter *aliena morboſa*, et ſpeciatim inter MORTVA MORBOSA referat, et cum *calculo* eodem titulo abſoluat Cel. DE GORTER *Prax. med.* ſyſt. Lib. IV. 238.

uerti differentias, vt difficile ſit, eas ad certum aliquem ordinem redigere, vt adeo a potiori denominatio formanda ſit. i) Interim ex motuum ſymptomatumque analogia ad huius vel illius rami neruei praeſentiam, connexionem, et alterationem concludere licebit.

§. XI.

Quodſi ergo varia in variis partibus pathemata a flatibus, ob conſenſum deſcriptum, oriunda, ſpecialius conſideranda a nobis ſunt, ſtatim ſeſe nobis CAPITIS ADFECTVS varii offerunt, videlicet CAREBARIA, CEPHALALGIA, CEPHALAEA, CLAVVS, HEMICRANIA, VERTIGO, PHANTASMATA ante OCVLOS volitantia, inſultusque, pro APOPLECTICIS fere habiti. Ab aliis certe cauſſis, quam a flatibus, morbos dictos oriri poſſe, neutiquam negamus. Sed in hiſce tamen quoque actuandis flatus non minimam ſibi vim vendicant, atque ſi haec cauſſa rite matureque ſatis dignoſcatur, feliciorem mali ſublationem promittit. Nerui autem in dictis adfectibus aut tenſi magis, quam in ſtatu naturali par eſt, ad obtuſum vel acutiorem doloris ſpeciem vsque, ſunt, aut ſanguis ob diſtenſa inteſtina in partibus inferioribus retardatur, verſus ſuperiores contra magis redundat, vnde e noua vaſorum cerebri et durae matris ſinuum repletione, cerebri neruorumque preſſio, ingrataque ſenſatio exoritur. NOVO autem iterum in cerebro, huiusque vaſis et inuolucris, nondum ſenſibilitate priuatis, oborto reniſu ſpaſtico, cum

i) Poſt WILLISIVM VIEVSSENIVMQVE WINSLOWIVS neruorum ſyſtema magis euolutum dedit, cuius veſtigia ſecutus eſt AVG SCHAARSCHMIDIVS. In euoiuendo ſpeciatim intercoſtali neruo, praeter Cll. *a* BERGEN, WALTHERVM, HALLERVM, HVBERVM MECKELIVM, operam locauit *ill.* SCHMIDELIVS *diſſ.* qua quaedam de neruo intercoſtali notantur, *Erlang.* 1754.

cum tremulo ſenſibilium partium motu iuncto, obiecta externa trementia et in gyrum quaſi mota videntur, vnde vertigo, et apoplexiae territio. Quibuscum cum animalium actionum integritas conſiſtere non poſſit, facile patet, et flatus, praecipue legitimo per ſuperiora vel inferiora exitu praecluſos, et internos ſenſus obnubilatos quaſi et hebetes reddere poſſe. ii)

§. XII.

In dictis pathematibus integer quidem communiter ab inteſtinis in conſenſum trahi poteſt *encephalus*; ſed ſaepiuscule vna prae altera magis pars, et externa, patitur. Hinc in aliis frons, in aliis vertex, tempora in aliis, arcus ſuperciliaris, immo et occiput, dolet vehementer, in aliis ſecundum axin prae dolore diuiſum caput eſſe videtur. Dolebunt autem ſpecialiores partes, prouti vel hoc prae illo vas ſanguiferum repletum, aut ſpasmo adfectum, vel alter prae altero ſinus durae matris, huiusque propago, pericranii ſcilicet proceſſus, aut quoad vaſa, diſtenſus extenſusue fuerit, aut pro ea ratione, qua ex irritatis vagi et intercoſtalis nerui ramis, ramulus connexus magis irritabitur. Non quidem *octaui paris* neruorum praecipuam vim hic negabimus, quippe quod, ſiniſtrum ſeu ſuperius orificium ventriculi praecipue cingens, plexumque dein coronario ſtomachicum efficiens, hic loci alterari, cauitatemque demum ſupremam, partesque hanc cingentes, in conſenſum ducere poteſt.

 Sed

ii) In tanto ventriculi cum capite per neruos nexu oriuntur ſaepe ab iſtius adfectione pathemata, ex quibus primario cerebrum pati iudicares. Neque reciprocum nexum cerebri cum ventriculo itidem negamus, ita, vt ex ipſius capitis varia adfectione, et vulnere, ventriculus doleat, vomat. Sed et in febribus acutis obſeruauimus, aegrotos rigoribus correptos eſſe, floccos legiſſe, muſcas captaſſe, atque adeo deliraſſe, quae vero ſymptomata remittebant, ſecuto *vomitu*.

Sed latior quoque diſtributio *paris diuiſi ſeu quinti* per capitis, praecipue externi, partes, atque *intercoſtalis paris* ab eodem ex parte, praeter reliquas eius acceſſiones a *ſpinali* medulla, ortus, huius denique cum *octauo* per plexus gangliaque nexus, efficit, vt in varios eius ramos adfectos ingratarum ſenſationum cauſſas etiam reiiciamus.

§. XIII.

Quo maior autem eſt vel regurgitatio ſanguinis verſus caput, vel neruorum, horumque originis, per ventriculum et inteſtina adfectio, eo maior quoque ingratarum ſenſationum cumulus erit. Sic VERTIGINE adeo ſaepe, praecipue matutino tempore, et ieiuno ventriculo, confunduntur perturbanturque aegroti, vt, debilitatis mentis viribus, memoria ingenioque, difficillimeque ſuccedente meditationum flumine, ipſam APOPLEXIAM iii) imminere timeant, qui vero timor, aut poſt aſſumta alimenta protulentaue nonnulla, aut diſſipatis vel excretis ructibus vel flatibus, quoque diſſipatur. Quae adfectio ergo magis a cerebro, eiusque inuolucris generatim, irritato, neruisque in *tremulum* motum verſis, dependet. Sed auctum antea tremulum hunc motum ipſarum partium ſolidarum adfectarum reſolutio et relaxatio ſequi ſolet. Hinc ex hac cauſſa LYPOTHYMIAE iii) quoque deriuandae ſunt, quatenus flatus et dicto modo ſenſationum fontem turbant, et ex ſimplici, at grauiori, ventriculi diſtenſione diaphragma ſurſum premunt, vnde pulmonum debita expanſio, et liber ſanguinis itus et reditus retardatur, ſicque deficientium motuum vitalium et animalium cauſſa ponitur.

§. XIV.

iii) Conf. Cel. IVNCKERI Conſp. n. 4. 6. med. theoret. pract. pag. 832. 833.

§. XIV.

Neque illud negare fas eſt, pro ratione vehementioris irritationis etiam vehementiores motus oriri poſſe. Atque cum ipſi flatulenti PAVORIBVS ſub ſomno repentinis, terrificisque, corripi ſoleant, quidni etiam ipſis CONVVLSIONIBVS iii)? Non ſine exemplo res eſt, ita quidem, vt inter cauſſas ſymptomaticae conuulſionis, praeter tam varias eius generis, flatus numerari mereantur. k) Recordamur viri docti, in publico conſeſſu inopinata et graui conuulſione correpti, qui in prandio, praeter alia, centum circiter ceraſa, *Amarellen*, dicta comederat. Hic finito paroxyſmo ingentem flatuum copiam cum euphoria ediderat. Licet autem alias quoque cauſſas variarum morboſarum adfectionum in hoc ſubiecto, poſt aliquod tempus defuncto, ſectio potiſſimum in apricum poſuerit, tamen in hoc paſſu effectus quoque de cauſſa teſtabitur! Quamquam vero in conuulſionibus quoque vitium aliquod encephali adſumamus, atque concedamus, liquidum nerueum, nec non ipſum ſanguinem, vi alterna in muſculos pelli, reducique, eosque violenta tum et inuita contractione agitari; tamen ipſum encephalum per inferiorem partium, hinc et inteſtinorum, neruos adfectos vellicari quoque poſſe, atque inde vehementiores quoque morbos oriri, non eſt, quod dubitemus, kk) ſi praecipue conſideramus, quantopere

k) A flatibus varias lypothymiae et conuulſionum ſpecies deduci poſſe lubentiſſime adfirmamus. Verum cum plures aliae ſyſtematis vniuerſi neruorum irritationes adſint, quae hisce morboſis pathematibus originem ſuam debent, minus iuſte a particulari ad vniuerſale concluſionem formaſſe Cl. PIETSCHIVM videtur, qui Syncopes et ſyncopticorum adfectuum et conuulſionum et epilepſiae cauſſam potiſſimum in flatibus, ſeu incarcerato aëre elaſtico, et vermibus, quaerit V. *Erklærte Urſachen u. Cur von den Ohnmachten u. Convulſionen.* Hamb. u. Leipz. 1753.

kk) BOERHAAV. de cognoſc. et cur. morb. §. 710.

topere intercoſtalis nerui *plexus meſaraici* a diſtentis inteſtinis irritentur, et *ipſam ſpinalem medullam* et cerebrum in conſenſum trahant.

§. XV.

In ipſis *pauoribus*, dum ſubito euigilarunt, flatibus, incarceratis praecipue, vexati aegroti, peculiarem quoque MAXILLAE INFERIORIS SPASMVM experti ſunt, ita vt vel cum vociferatione interrupta expergefacti ſint, vel ingrata maxillae immobilitate laborarint. Cuius phaenomeni vix alia reddenda ratio, quam ea, quae a diſtributione *nerui maxillaris inferioris*, tertii quinti paris rami primarii, petenda eſt, ſiquidem hic muſculis maxillam inferiorem eleuantibus v. c. maſſeteri, temporali, pterygoideo, vt et labiis, proſpicit, et lingualem quoque neruum ſingularem producit. Mediate autem intercoſtalis neruus cum quinto pare iungitur. l) Illo autem, ex inteſtinis flatibus diſtentis, male adfecto, et huius rami patiuntur.

§. XVI.

Inter *maxillarem* quoque *neruum* et *ſeptimum* neruorum par, praecipue huius *portiorem duram*, magna intercedit communio, m) ita vt *chorda* quoque *tympani* inde conſtituatur. n) A vero itaque vix aberrabimus, ſi OTALGIAM TINNITVM et SVSVRRVM AVRIVM, praeter eam cauſſam, quae in alia redundantia verſus ſuperiora ſanguinis, per viſcera abdominalia minus iuſte moti, conſiſtit, quoque a flatibus deriuamus, ſiquidem hypochondriacis haemorrhoidalibusque pathematibus adfecti ſimul dictis incommodis ſubiecti eſſe ſolent. Sed in *octaui* quoque paris diſtributionem cauſſam quandam reiicimus. Singularis enim ramus huius cum maxil-

l) WINSLOW. Expoſ. anat. Tom. III. §. 369. p. 218. Edit. latin.

m) IDEM l. c. §. 85. 93. ſq.

n) SCHAARSCHM. *Neurolog.* p. 30.

maxillari inferiori communicat. o) Neque abſonum eſſe videtur, ab irritatis per flatus ventriculo et inteſtinis, moleſtum intercoſtalium ramorum ſenſum ad DENTES propagari, ita vt adfectis maxillaribus neruis eorum DOLOR oriatur, qui, ad *fauces*, ad *linguam* delatus, cauſſam quoque in communione *noni* paris, cum *octauo* et *intercoſtali*, pp) vna inuenit. p) Immo *occipitis* dolor, et CLAVI, iamiam notati, ſpecies oriri poteſt, quando ingrata ſenſatio ab inferioribus per *vagum* neruum propagatur; huius enim *acceſſorius* neruus cum *ceruicalibus* communicat, et praecipue colli muſculis, et *occipitali*, ramulos largitur. q) Accedit quoque, ex ſanguine verſus ſuperiora congeſto, reſtrictoue, ſtringi quoque vaſa *temporalia*, a ſimilis nominis neruo, r) et meningeam arteriam, ope laquei nerui temporalis, s) vnde ſimul fortioris cephalalgiae cauſſa quoque eruitur.

§. XVII.

Thoracem ab interrupto libero diaphragmatis motu, per flatus, anguſtari, atque ita liberam reſpirationem intercipi, dictum iam eſt §. 8. ss) Quando vero hac ratione ipſe ſanguis per venam cauam difficilius aſcendit, et ex anguſtato pulmone, difficilius quoque a capite ad ventriculum cordis dextrum redit, difficulter quoque per pulmones ad ventriculum cordis ſiniſtrum mouebitur, t) bronchia cellulasque pulmonales premet, et ſic

C ASTHMA

o) WINSLOW l. c. §. 114.

p) WINSLOW l. c. §. 114.

pp) SCHAARSCHMID. Tab. neurol. p. 44. 45. Ill. SCHMIDEL, diſſ. cit. §. 4. 6.

q) WINSLOW. §. 147.

r) MECKEL de quinto par. neru. cerebr. §. 116.

s) DE HALLER de nerv. in arter. imperio §. 35. Coll. Ill. PRAES. *diſſ.* de Vena caua plena malorum, §. 9.

ss) Et in *phrenicum* neruum conſenſus morboſi cauſſa nonnulla cadit, vtpote qui et cum pari intercoſtali communicat. V. EPHR. KRUGERI *diſſ.* de neruo phrenico. *Lipſ.* 1758.

t) Ill. PRAESID. *diſſ.* de vena cau. §. 16. et de conſenſ. pect. cum inf. ventr. §. 37.

ASTHMA efficiet, SVSPIRIA, SVFFOCATIVAque pathemata, tt) admodum diuerſa ab iis, quae a muco ſpiſſo viſcidoque, vel catarrhali acri materia, pulmones obſidente, proueniunt. Flatus ergo *aſthma* quoque *flatulentum* producere valent, quae ſub hac ſcena oriunda *dyſpnoea* actuatur quoque praecipue a *neruis paris vagi recurrentibus* adflictis, u) immo ab eorum cum *intercoſtali* neruo communione, quo *plexus pulmonalis* atque *cardiacus* ſpectat. Inde LOQVELAE quoque interceptio, et peculiaris quoque *hyſtericarum* ſenſus, ac ſi in pharynge vel laryngе nucleus aliquis durus haereret. Immo cum INCVBVS varia cum aſthmaticis pathematibus communia habeat, vt etiam loquelae vſus, pendente paroxysmo intercipiatur, uu) etiam illum, praeter alias cauſſas, ex parte a flatibus originem trahere poſſe, ex paullo ante dictis colligitur.

§. XVIII.

Ex difficiliori ſanguinis per pulmones motu §. 17. haud difficulter iam perſpicimus, qua ratione a flatibus coarctato pectore etiam *cor* adfici poſſit. CORDIS ſcilicet PALPITATIO frequentiſſime a flatibus oritur, ab iis praecipue, qui in ventriculo, eiusque ſacco ſic dicto coeco, haerent, quibusque liberior per orificium ſiniſtrum, ſeu ſuperius, exitus non datur. Praeter autem circuli ſanguinis inaequalitatem, v) per ipſos adeo neruos ventriculi irritatos, cum iisdem conſentiens *cor* laceſſitur. Nerui ſiquidem ſtomachici, a pari vago oriundi, plurimis in locis cum intercoſtalibus cohaerent, vt inde quoque *cardiacus plexus*, a quo, praeter alios, et auriculae et ventriculi cordis neruos

tt) Cel. IVNKERI conſp. med. pract. p. 282. 285. 832. 128. 129. 130. 131. 389. 392.

u) SCHAARSCHMID. l. c. p. 40. 41. WINSLOW l. c. §. 126.

uu) FRÆNKISCHE SAMML. *Part.* XXV. *Reſponſ. de violentia externa, pro incubo habita.*

neruos accipiunt, oriatur. w) Irritatis hinc ventriculi neruis et cor irritabitur, et palpitabit. Senſiliſſimum quippe orificium ventriculi ſuperius, ob facilem inde cordis adfectionem, καρδιαν iam olim appellarunt.

§. XIX.

Quamuis flatulentiam pro MALI HYPOCHONDRIACI cauſſa potiori minime habeamus, cum plura viſcera abdominalia in hoc malo adfici, ſecretionum et excretionum negotium turbari, reſtagnationes et congeſtiones haemorrhagicas oriri, alibi x) dictum ſit; tamen eam inter frequentiora huius mali ſymptomata, ſaepe nouos morbos efficientia, merito numeramus. Atque cum ex deductis hucusque appareat, quam variarum pathematum flatus auctores exſiſtere poſſint, in malo hypochondriaco autem tot polymorpha pathemata occurrant, etiam per reliquos corporis partes ſeſe extendentia, non eſt quod dubitemus, etiam flatus incarceratos, tanquam ſymptomata in hoc malo vrgentia, quantocyus, conueniente methodo, tollendos eſſe. Illud autem negotium haud adeo facile eſt. Quanquam quidem cauſſam hanc proximam ſaepiuscule remouere valeamus, multum tamen abeſt, vt recurſus, nouaque generatio, plane impediatur, ſiquidem vita ſedentaria, diaetae errores, plethora, et ſecretionum negotium minus rite ſuccedens, nouae progeniei admodum fauent. Tacemus TYMPANITIDEM a flatibus, inueterati mali hypochondriaci ſaepe ſiniſtrum exitum.

§. XX.

HYSTERICVM MALVM, ſi vocem determinate magis ſpectamus, *vterum*, eiusque functiones, vario modo laeſas, indigitat.

v) V. Diſſ. ſub. ill. PRAESIDE ventilat. nonnulla ad malum hypochondr. ſpectant. §. 20-27.
w) WINSLOW l. c. §. 130. 390. Conf. de HALLER Elem. phyſiol. corp. hum. *Tom.* I. p. 361. ſq.
x) Diſſ. cit. de nonnull. ad mal. hyp. ſpect.

gitat. Atque ex tanta communione vaſorum y) neruorumque yy) vteri; cum aliis partibus, patet, quomodo hyſtericum malum easdem ſaepius in conſenſum trahat. Sed cum hoc malo communiſſime *flatulentia* coniuncta eſt, hinc a longo iam tempore idem malum a *vaporibus* deriuatum, et gallico idiomate *Vapeurs* z) nominatum eſt. Saepenumero quidem obſeruamus, primariam *complicationis* cauſſam ſitam eſſe in vtero, in menſium ſcilicet emanſione, obſtructione, ceſſatione, imminuto, dolorifico ſucceſſu, fluore albo. Tacemus *amoris* occultos ignes. Sed ſaepiuscule etiam vterus non vitioſus adeo, nec functiones eiusdem adeo laeſae reperiuntur, ac vulgo putatur. Sed in ventriculi et inteſtinorum varia deprauatione, adeoque flatibus anguſtantibus, propior cauſſa latet, quo et ſpectat ſic dicta LOCHIALIS FLVTVLENTIA. Flatibus enim, per ructus praecipue, emiſſis, ceſſare ſolent praecordiorum anguſtiae, atque integri grauioris paroxyſmi, vulgo hyſterici, ſymptomata. Tantopere autem adficere ſolent incarcerati flatus, vt in *ſuffocationes, cordis palpitationes, lypothymias, lacrymarum profuſiones, artuum tremores, conuulſiones*, incidant. Immo maxillae illum ſpaſmum §. 15. diraſque ſtrangulationes faucium, frequentius in virginibus feminisque obſeruauimus, cuius ratio in diſtributione neruorum, §. 15. 17. euoluta, potiſſimum ſita eſt. Atque ipſius ARTVVM TREMORIS, FRIGORISQVE EXTREMORVM a flatibus, cauſſa haud difficulter eruenda eſt, ſi neruorum e ſpinali medulla egredientium communio, ceruicalium, dorſalium, *cet.* cum intercoſtalibus, hinc et vagis neruis, conſideratur. aa)

§. XXI.

y) e. g. WINSLOW l. c. §. *618*. PRAES. diff. de vena caua §. 23.

yy) WINSLOW l. c. §. *634*.

z) Nouiſſime de flatulentia hac ex inſtituto agere conatus eſt *Cl.* RAVLIN, *Traité des affections vaporeuſes du Sexe, avec l'expoſition de leurs ſymptomes, de leurs differentes cauſes, et la methode de les guerir.* Paris 1758.

aa) WINSLOW l. c. §. 212. 215. *rel.* Ill. SCHMIDEL differt. cit. §. 17.

§. XXI.

Sed dum variorum dictorum pathematum cauſſam, modumue fiendi, ex ipſa corporis ſtructura deriuare adlobarauimus, non ideo in ſapientiſſimum corporis humani ſummum conditorem iniurii eſſe debemus, qui tam ingratos morboſosque conſenſus exſiſtere voluerit. Ob tam varias enim corpori humano neceſſarias, ſibique inuicem opem ferentes, functiones, conſenſus aliquis partium, neceſſarius erat. Verum cum homines non ſolas machinas eſſe, ſed libertate quadam frui voluerit creator, hac libertate eosdem variis modis abuti, contra ſex rerum ſic dictarum non naturalium legitimum vſum peccare, atque ſic morboſorum pathematum cauſſam introducere, quis eſt, qui neget? Sed quamquam et oborta doloroſa pathemata pro bonis reputare multi dubitent, tamen ineſt ipſis doloribus, et ex conſenſu ortis, ſua vtilitas. Creator enim et dolorem homini cuſtodem dedit, ad auertendum malum. bb) Monent ergo et per conſenſum orti dolores, vt cauſſam eruamus, cauſſaeque remedium quaeramus.

§. XXII.

Inter *paſſiua* itaque *ſymptomata* explicata pathemata referenda ex parte erunt, quemadmodum motus oriundos ad arcenda mala haud ineptos, hinc ad *actiua ſymptomata* referendi videntur. Vt tamen candide per omnia procedamus, illud quoque monere iuuabit, exſiſtere poſſe caſus, in quibus, motus aliunde orti poſſint modos ſubminiſtrare, quibus fiat, vt flatus, qui de cetero tantopere forte non adfligerent, iam retenti, plurium pathematum auctores exſiſtant. Sic et adfectae ex aliis cauſſis e. g. refrigerio, pathemate animi, haemorrhagico molimine, calculo, obſtructione alui, vulnere, febre *cet.* partes di-

bb) DE HALLER prim. lin. phyſiolog. §. 579.

ctae, flatuum diſſipationem et excluſionem remorare queunt, ne tranquille ire, redire, exhalare, abſorberiue poſſint. cc) Circumſpecti hinc medici eſt, vt in eas cauſſas inquirat, quae proxime flatibus originem praebent, quaeque, vt magis vrgentes, tollendae, vel quomodocunque id fieri poterit, remota cauſſa primaria, ſint averruncandae.

§. XXIII.

Quodſi pathemata ſupra indicata vrgent, et ſimul diſtenſiones, murmuraque abdominis in aprico ſunt, tum SIGNA *flatuum* praeſentium vix ambigua eſſe poſſunt. Sed ſi intricata ſaepius eadem pathemata, dd) vtpote quoque ex variis aliis cauſſis oriunda, auxilium medici efflagitant, tum non ſemper ſtatim liquet, eſſe in culpa flatus. Ergo vt *occultam* hancce variorum pathematum cauſſam in apricum magis proferamus; neceſſe eſt. Scilicet primo cum ipſa poſſibilitas per deducta pateat, etiam ad exſiſtentiam concludere licebit, ſi nonnulla data adſunt, veluti experientia, qua, emiſſis flatibus per ſuperiora, vel per inferiora, mitigatum vel profligatum eſſe malum, conſtat. Deinde ex ipſis preſſoriis, volutatoriis, motibus, doloribusque, licet ſaepe obtuſis magis, qui in ipſis partibus obtinent, quae fouendis flatibus admodum fauent, e. g. extremitas ventriculi ſiniſtra, coli inteſtini flexurae, ad contenta haud difficulter quoque concludimus. Quaeſtiones ergo circa examen aegroti, et cuiuscunque indiuidui, ſecundum res naturales, non naturales et praeternaturales, *occultam* flatuum cauſſam extricabunt.

§. XXIV.

Sublationem denique flatuum, praecipue incarceratorum, et curationem flatulentorum aegrotorum, ſuſcipientes, memores merito eſſe debent, an flatulentia magis ſit morbus vel ſymptoma. In priori caſu facilius malum profligari poteſt, in poſteriori curandus primarius morbus. Quodſi autem quoque ſymptoma eſt; ex huius, ſi vrgeat, ſublatione, non minima patet ad

cc) Cel. GAVBIVS inſtitution. patholog. medicinal. §. 798.

dd) V. ill. van SWIETEN ad aphor. BOERH. §. 649.

ad ſanitatem reſtituendam via. Potiores eo redeunt *indicationes*, vt I. quo magis flatus vrgent, et allegata pathemata producunt, eorum *excretio* actuetur, id quod praecipue, ſi anoterica flatulentia diuexet aegrotos, per reſtitutionem toni ventriculi, eiusque fibrarum nouam actionem, obtinetur. Huc faciunt *carminatiua* ſic dicta. Ea tamen propinanda prouide ſunt, ne, quod facile fieri ſolet, calida medicamenta in ſtatu plethorico, et haemorrhagicis congeſtionibus, noceant. Longam carminatiuorum ſeriem e materiae medicae ampliſſimo theſauro huc transferre iam non vacat. Illud tamen non praetereundum ducimus, ſaepiuscule minus calida, fluida praecipue, medicamenta, iterato hauſta, plus efficere, in ſenſibilioribus praeſertim, quam ſpiritus carminatiui, guttulaeue calidiores. Sic e. g. ſequens potiuncula ſaepiſſime egregii vſus fuit: *Rec. Aqu. meliſſ. vinoſ. menth. vinoſ. Chamom. cinnam. cydoniat. aa.* ℥j *Nitr. depur.* ʒj. *Liqu. anod. min.* ʒj. *Syr. aurant.* ʒiij. *M.* Ructus inde ſecuti magnam anguſtiae partem ſuſtulerunt. Solum *nitrum* ad ℈j. cum guttula olei *macis*, *cinnamomi*, vel *caieput*, propinatum, flatus discuſſit, eiecit, ſpasmos, aequaliter reſtituto tono, ſoluit. In aliis *clyſteres* carminatiui aluum reſerarunt, et ſimul flatus eduxerunt. Multos *iusculum* tenue, vel vinoſum, vel aquoſum, plus minusue aromatiſatum, calidius et paulo maiori copia hauſtum, repleto ventriculo, laxato eius orificio, flatus exire iuſſit, cum euphoria. Profuit modeſta hypochondriorum frictio, praecipue ſecundum ventriculi et coli directionem, immo externe inuncta *olea carminatiua*, ſacculi aromatici, aqua ſic dicta Hungarica, vel lauendulae ſpiritu irrorati, opem tulerunt. ee) Discuſſis ita vrgentibus flatibus,

porro

ee) Inter *borborygmica*, vti ill. LINNAEVS ea medicamenta vocat, quae flatus intra tubum inteſtinalem contentos euacuant, etiam *ructatoria* praecipue numerat, veluti *mentham*, *raphanum*, quae flatus per oeſophagum expellant. *Linn. Mat. med.* L. I. *Praefat.* Sed vti illud per alia quoque medicamenta actuatur, ſic et alia medicamenta ructatoria eſſe poſſunt, quatenus vel acriuſculus ſuccus eorum ventriculum ſtimulat, vel quatenus oleoſum aethereum aromaticum idem efficit. Sed prouide etiam talia in vſum vocanda eſſe, res ipſa docet, cum alia quoque vna contenta v. c. mucilaginoſa, poſtea nouis flatibus originem praebere poſſunt, id quod non tantum de raphanis, ſed et ſeminibus carminatiuis valet.

porro neceſſarium eſt, vt II. iners mucus ventriculum inteſtinaque obſidens, relaxans, digeratur, fermentansque materia euacuetur, quo pertinent ſalia media digeſtiua, euacuantia liquida et ſalina, minus tamen pilulae ſicciores, ſeu flatulenta mannata dulcia. Ad haec III. praecaueatur noua flatuum geneſis, quod fit aut abſtinendo a cibis potulentisque flatulentis, *fermentantibus*; aut reuellendo excernendoque per peripheriam copiam humorum, alias ad inteſtina conuergentium. Optandum quidem foret, vt plures eodem vitae genere adſuefierent, quo vilioris conditionis homines vtuntur, qui, licet quotidie flatulentis veſcantur, non tamen in eorundem incommoda incurrunt. Hi videlicet laboribus dediti, motumque corporis voluntarium exercentes, et digerunt facilius ingeſta, et natos flatus, ope debiti partium ſolidarum roboris, facilius eiiciunt, et promotione legitima tranſpirationis impediunt, quo minus humores nimis ad interiora deponi §. 5. inque vapores et flatus reſolui queant. Quantum ergo a vita ſedentaria, otioſa, a nimia ventriculi et per cibos, et per tepida, vt mos fert, potulenta repletione, a nimis protracta verſus cubitum coena, a refrigerio, praecipue pedum, a nimis conſtricto abdomine, feminis praeſertim, *cauendum* ſit, facile patet, iis inprimis, quibus ob officii rationes negotiorumque multitudinem plus meditationibus, quam motu corporis, vacare neceſſum eſt. Denique ab ipſa diuturniori et modeſtiori quam par eſt flatuum retentione abſtinendum, liberioremque ipſis exitum, optimo quocunque id fieri modo poſſit, procurandum eſſe, quilibet videt. Immo aliae cauſſae, quae flatus ipſos remorari queunt. §. 22. remouendae ſunt, ita tamen, vt *et medicus et aegrotus ſimul* ſymbolum ſuum adferant. Qua ratione, vt ab occulta ſaepius hac cauſſa oriunda pathemata, in multorum aegrotorum ſalutem, rite dignoſcantur tollanturque, eſt quod impenſe vouemus.

TANTVM.

Quiſque TVAM laudans artem, Numenque Supremum
Muneribus multis TE cumulaſſe, docet.
Applaudunt omnes TIBI proſpera quaeque vouentes,
Perpetuoque TIBI laus manet atque decus.
MOHRE! qui famae ſpecimen iam ſaepe dediſti,
Patria cara TIBI gaudia magna creet.
Gratulor, hoc coeptum, det praemia Magnus Apollo,
Dirigat vt doctum ſummus Ioua precor.
Perge fauore TVO me porro amplectier, atque
Vt paucis dicam, dilige, viue, vige.

Ita mentem ſuam Praenobiliſſimo Doctiſſimoque Dno. Auctori diſſertationis huius inauguralis, Amico Suo Aeſtumatiſſimo, teſtari, et monumentum hoc exiguum in teſſeram ſincerae amicitiae ponere voluit, debuit

IACOB. IOANN. CHRISTIAN. WETH.
Eccleſiae Sugenheimenſis Paſtor.

Sic certando decet pulchram meruiſſe coronam
Sic decorare ſuos Muſa brabeuta ſolet.
Ignea vis animi dum praelia docta capeſſit
Victricem e cathedra numquis abire neget?
Ergo TIBI Domini benedictio iugiter adſit,
MOHRE, TE foueat gratia grata Dei!

In teſſeram infucatae amicitiae haec pauca, aſt maiori affectu, adiecit

IOANN. LEONH. EYRICH.
Eccleſiae Ezelheimenſis Paſtor.

Accipe nunc laudem meritam, nomenque decusque,
VIR SAPIENS! docta pagina namque probat.
Iam modo Birreto gaudent TVA tempora claro;
Hoc virtutis opus! quod meruere diu
Conatus noti, qui non fugiuntque latentque
Me bene noſcentem, TE, TVA facta ſimul.
TE Deus omnipotens ſeruet, laboribus adſit,
Annuat et votis, proſperet atque beet.

Haec ſunt, quae TIBI, VIR PRAENOBILISSIME nec non DOCTISSIME, AMICE pie colende, recordationis ergo ſempiternae adponere voluit

IOANNES GODOFREDVS BRAVNE
Paſtor Vblſtadienſis.